

nemore. Ermengarde matre ejus defuncta, pro ejus anima Glans<sup>a.1)</sup> super Jayram fluvium situm tradidit<sup>b)</sup> huic ecclesie, pro quo ecclesiam sancti Remigii in Duys<sup>c.2)</sup> mutuo accepimus et prediolum in Novila<sup>3)</sup>, cum monachis Sancti Jacobi facta commutatione. Tradidit et ecclesiam Sancti Memmii<sup>d)</sup>, annuente uxore immo et hortante, in Dionant<sup>e.4)</sup>. Dedit similiter ecclesiam in Veslomiis Agnetis, et sancti Lamberti ecclesiam in Esmines<sup>f.5)</sup>. Non dissuadente, sed potius stimulante Reylande<sup>g)</sup> conjuge sua, locum, quem reparaverat, multiplicavit mansumque unum in Anheia<sup>h.6)</sup>, alterum in Sorina<sup>i.7)</sup>, tertium in Wederina<sup>k.8)</sup> nobis dedit. Celsas turres pauperumque tabernas mors pulsat, et rapit sine discrimine quoscumque rapere judicat. Ipsa nobis dampnum illatura<sup>l)</sup> non modicum, abstulit et<sup>m)</sup> patronum nostrum comitem Albertum, cui requiem dat cenobium nostrum. Sepulto eo, dedit uxor ejusdem medietatem Holon<sup>n.9)</sup> in<sup>o)</sup> ecclesia et in omnibus appenditiis ejus.

Non pretereundum arbitror nec dignum silencio, quod factum est adhuc vivente<sup>p)</sup> comite supra memorato. Leuduinus<sup>q)</sup> episcopus Bichariensis<sup>r)</sup>, genere Lothariensis, causa suos visendi Pannoniam egressus, Leodio vel Andenne morabatur. Dei vero providentia causa visitationis nobilissimum comitem expetivit, qui ab eo honorifice susceptus est et habitus cum amicis. Qui videns locum hunc jam dirutum, sed aliquantulum erectis parietibus reedificatum, hic missam celebrans multum dedit reliquiarum. Dedit de corpore S. Georgii martiris, similiter de corpore proprio Nicolai<sup>s)</sup> confessoris Smirneorum<sup>t)</sup> episcopi et aliorum quorum nomina

Scrripsit in eterno celestis littera libro.

Quomodo autem pontifex, de quo mentio facta est, easdem reliquias sit adeptus scribi precipit<sup>u)</sup>, et penes nos scriptum retineri. Factum esse hoc modo nobis notificavit verumque esse confirmavit. Stephanus rex Pannoniorum, ex pagano christicola factus, vere fidei imitator erat Deoque devotus. Orta vero bellorum tempestate, que a<sup>v)</sup> barbaris infertur<sup>w)</sup> imperatori Constantinopolitane urbis, rex Constantinopolis eundem Stephanum ad bellandam barbariem sibi adscivit, cuius aminiculo Cesariem sibi infestam vi debellavit. Cumque Constantinopolitani predas raperent<sup>x)</sup> et urbem divitiis denudarent<sup>y)</sup>, vir vere

a) Glonus 1.    b) dedit tradidit 1.    c) d'Ouy 2.    d) Mennii 2.    e) Dionantio 2.    f) Emynes 2.    g) Reilendie 1.    h) Anhea 3.    i) Forina 1; Sorma 2.  
k) Wederico 1; Verderina 3.    l) illatum 1.    m) ut 1; in 3; abstulit patronum 2.  
n) de Holon 3.    o) cum 3.    p) viventi 1.    q) Liedinies 1; Liedvinus 3; Leudinus 2, s. unten.    r) Oichariensis 2.    s) Nicholai 1.    t) Smyrreorum 1.  
u) precepit 3.    v) a fehlt 1. 3.    w) infesta 2.    x) caperent 3.    y) denundarent 3.

1) Glans sur le Geer.    2) Dhuy.    3) Noville.    4) Dinant.  
5) Emynes.    6) Anhée.    7) Sorinne.    8) Vedrin.    9) Hollogne.